



# PANEGYRICUS

SERENISSIMO PRINCIPI,  
POTENTISSIMO DOMINO,

# DN. FRIDERICO GVILIELMO,

# Marchioni Branden-

# burgico, S. Rom. Imp. Archi Came-

rario, ac Electori Septemviro,

Magdeburgi, Borussiae, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeranorum,  
Cassubiorum, Vandalorum, In Silesia item, Crosnae,

Carnoviaeque

DUCI,

Burggrabio Noribergensi, Principi Mindae & Halberstadii,

Comiti Marcae & Ravensbergae,

Domino Ravensteini &c. &c.

*PATRIAE PATRI*

*Pio, forti, pacifico,*

Inter publica vota, & gratulationes, ob exoptatissimum PACIS

OTIUM, quod reddiderat modo Suis,

*WITTENBERGAE,*

In honorifico Patrum, Civiumque Academicorum


Confessu, Ipsa Trinitatis Dominica, Anno clc lxc LX.

*DICTUS*

*ab*

**OTHONE PRÆTORIO, Col. March.**

Serenitati Ejus perpetuo Devoto.



*Ex illustri ac Generosissimo Domi-  
no, Domino ADOLPHO, Libero Ba-  
roni de Friesen, Domino in Rötze,  
et Garschwitz, et: et:*

*Serenissimo Electori Saxonico à  
Sanctoribus Consilijs,  
Camarariog, quidam, ac superio-  
ris Consistorij eminentissimo  
Præsidi, Domino meo gratioso,  
Sumillimè offero*

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.

*AUCTOR.*

PANEGYRICUS

SEBASTIANO PRINCIPALI

DN. FRIDERICUS

GUILIELMO

Marchioni Brandenburg

burgico, Romanus Archiepiscopus

Magdeburgensis, Borussiae, Silesiae, Moraviae, Sarmaticae Pomeraniae, Cassubiae, Silesiae, Brandenburgensis, etc.

Caroli

Burgundici, etc. Principis

Comitum Palatinum

Electorem

WALTERUS

WALTERUS

Intra publicis votis, etc. exornatus

OTILIA

In honore

Consistorii

OTHONE BRATOLLO, Col. March.

Stamenti

PACHICO

In Officina Typographica Johannis Harseni

Serenissimo, Potentissimoq; Principi, ac Domino, Domino

# FRIDERICO GVILIELMO,

D. G.

Marchioni Brandenburgico, S. R. Imp. ArchiCamerario,

ac Electori Septemviro,

Magdeburgi, Borussiae, Juliae, Cliviae, Montium, Stetini, Pomeranorum,

Cassubiorum, Vandalorum, in Silesia etiam Crosnae,

Carnoviaeque

DUCI,

Burggrabio Noribergensi,

Principi Mindae ac Halberstadii,

Comiti Marcae ac Ravensbergae,

Domino Ravensteini,

Et. Et.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

OTHO PRÆTORIVS

FELICITATEM PERPETVAM.



**H**X eo tempore, quo, Coeli munificentissimi favore, Tuos

que, SERENISSIME ELECTOR, auspicio, difficilia illa, ac perquam dura armorum tempora cessaverunt, non fiducia solum, & ingens meliorum spes; sed lætitia etiam TUOS animavit. Quicquid enim aut

incommodorum perpeffi superiùs, aut cladum fuerunt, illud solis sibi, ac fatorum inclementiæ tribuunt: quod redditi pacificis consiliis tranquillitati sint, Tuæ pietatis esse opus arbitrantur. Neque hoc sine

veritatis aut rationis documento, quibus probatum satis, sic stabilem

fundatamque esse magnitudinem Tuam, ut, quemadmodum TE suprâ omnes collocatum agnoscant meritò; ita pro singulorum universorumque salute curam Tuam excubare, experiantur quotidie. Et jam in illo quidem, quòd fortitudinem adeò Tuam, potestatemque

continuisti, ut PACIS hac quiete multos alienæ eripueris iræ, neminem verò Tuæ impenderis. Hinc admirabiliorem TE nobis semper, DOMINE, melioremque efficis, cum talis

existas, quales alii Principes se futuros tantum polliceantur. Ut enim felicitatis præcipuæ

pars est, posse quantum velis: ut magnitudinis fastigium videtur emetiri, qui tantum vult, quantum potest; ita coërcere potentiam, eandemque ad clementiæ normam componere, moderationis meretur laudem. In finitam contra armis licentiam dare, ac ob triumphî

honorem, paucaque & infructuosa folia, res atque fortunas Patriæ in dubiam atque ancipitem contentionum aleam conjicere, vani levissimi que ingenii est, & qui timeri latius, quam

imperare justius velit. Ibit igitur in secula, fuisse Principem, qui non strenui bellatoris modò; sed mitis, placabilisque, & pacifici laudem impleverit. Affirmare quidem com-

muniter

munitur solemus, omnes inesse illis virtutes, quibus aliqua contingat saltem, cum una sequatur alteram, Divæque illæ sororio vinculo & indissolubili invicem nexu conjunctæ sint. At illud insolens videtur maximè, & valdè rarum, quod una eademque res sit, fortissimum ac felicissimum Imperatorem, & Pacis amantem, clementissimumque Patriæ Patrem audire. In TE conspirant tamen hæc, PRINCIPUM OPTIME, qui & armis celebritatem Tibi comparasti, & ob PACEM restituendam TUIS, trophæa debita statuasque deprecaris veluti. Atque si dubium esset adhuc, fortè casuque boni Principes terris; an verò ex Numinis præscripto darentur: TE tamen divinitus concessum nobis liqueret manifestius. Non occultâ etenim fatorum potestate, nec naturali rerum ordine, aut necessitate aliquâ inevitabili tantum nobis bonum, tamque ampla contigit felicitas; Sed ipse rerum omnium Sator, in cujus manu Principum versatur fortuna, qui fessas hominum res pro Sapientiâ suâ, bonos indulgendo Principes, erigit, solaturque ac fovet, TE, ut reliquæ, sic hujus nostræ Salutis auctorem esse voluit. Quare ad bonitatem Tuam, tanquam ad terrenum quoddam Numen, vel clarum ac beneficium sidus, advolamus certatim, & vehementi in eâ stupore prudentiam pariter, moderationemque cum magnanimitate admirantes, in Tuâ unius incolumitate conferimus vota nostra, cum nobis nos, parentibusque, ac liberis intelligimus precari, quæ pro TE precamur.

Ac mea quidem pietas, SERENISSIME ELECTOR, studium mentemque Tuorum Civium exponere sustinuit præsentî Oratiunculâ, quam de TE, eorum nomine, in Illustri hac Saxonica publicè habui, adeoque nec inscribenda alteri, quam qui dicendi auspiciam simul præbuit, ac causam.

Neque verendum mihi erit, DOMINE, quod non digno summorum Principum personis; sed succiso quasi, ac mutilato, jejunoque dicendi genere, in laudibus Tuis exponendis, usus fuerim. Nec enim sermonis magis elegantiam, quam animi pietatem æstimare soles. Atque hoc est, quo summo Numini accedis propius, quod non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætatur, gratioremque existimat, qui ad aras ejus puram castamque mentem, quam meditatam carmen adfert. Age itaque, INDULGEN-  
TISSIME DOMINE, & accipe debitum TIBI devotionis ingenuæ munus, eadem illâ sanctissimâ dexterâ, quâ PACEM hanc nobis auspiciatò pepigisti. Nostram quod attinet tenuitatem: Optamus omnes, optamus singuli, UT DEUS ILLAM NOBIS PERPETUAM JUBEAT ESSE, ET TE, PRINCIPUM MAXIME, SERVET.





RECTOR MAGNIFICE,

*Patres Academici plurimum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi: Doctores & Aſſeſſores, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Clariſſimi: Tuq; reliqua Civium Academicorum Nobiliſſima atque lectiſſima Concio.*



Vicerunt illa tandem ab omnibus frequentata vota, & quicquid à DEO immortalis, pro PACE Christiano Orbi restituendâ, precati ſumus hucusque, abundè tenemus. Rediit feliciffimis auſpiciis, poſt tot immenſas clades, poſt tam durum, ac per difficile Fatum, alma hæc Diva, illa optima rerum, quas datum noviffe homini eſt, & quæ miſerum in modum proſtratae afflictæque Romani Imperii res erant, ad exoptatiſſimos Pacis hujus radios, quos hauriunt iterum, recipiunt Spiritum veluti, ac erigunt ſe; quin, peregrini adductus gaudii vi, nullus non Exterorum etiam Germaniæ noſtræ de tanto quietis bono gratulatur, dum infelicitatis præteritæ ſecum memoriam reputat. Hoc enim perſuaſum mihi firmiter habeo, quòd gaudentium ſtudia nunc ita toto floſcant orbe, quacunque fama, ultra naturam, quâ fingitur, diſcurſus mutuata volucres, & plus quàm mille vocibus ſonora, percrebuit, ut omnium Nationum gratulationibus conſecretur fortuna hæc noſtra. Multò propterea minùs ſilendum nobis hac vice eſt, neque differri clementiſſimi Numinis celebratio

C

bratio

bratio debet, nisi ingrati nominis notationem, ii  
præsertim, quibus propria hæc pax, & domestica  
quasi est, velimus incurrere. Quorum cum nu-  
merum, inter alios, *Marchici* absolvant quoq; non  
intempestivum, meo quidem iudicio, videri pote-  
rat, si quis beneficium *SERENISSIMI, POTEN-  
TISSIMIQUE BRANDENBURGICI ELECTO-  
RIS*, quo, divina dirigente gratiâ, Patriæ *Pacem*  
reddidit, suo dilaudare merito conetur. Quas  
ipsas dum impræsentiarum Ego mihi sumpserim,  
partes, is, qui neque ingenio, doctrinâq; , nec elo-  
quentiâ cum aliis sim comparandus: à Vobis, *Pa-  
tres Conscripti*, eâ, qua decet, observantiâ contendo,  
ut veniam inconsultæ pietati nostræ concedere ve-  
litis, qui tantô nunc magis gratulandum *SERENIS-  
SIMO PATRIÆ PATRI* statuimus, postquam  
quiete exoptatissimâ iterum fruitur; quantô qui-  
dem difficilius est, emergere ex malis, quàm in ea  
incidere. Neque alieni videbimini Vos, qui in  
societatem aliquam hujus lætitiæ veniatis. Interce-  
dunt enim finitimis cujusdam necessitudinis jura,  
& fortunarum quædam communio. Quod eô  
certiores eritis, si animo reputabitis, quot *Serenis-  
simæ Domus SAXONICA, & BRANDENBURGI-  
CA*, quibusque sanctissimis vinculis connexæ invi-  
cem sint, ac obligatæ. Quapropter attentione di-  
centem sublevate, *Auditores*, atque ignoscite, si à  
communi ratione mea non nihil recedet Oratio:  
neque tam venerabilem istum confessum vestrum,  
quam illum ipsum compellare videbitur, qui cau-  
sam, occasionemque dicendi dedit. Nihil quippe  
tam sui juris non est, quàm animus inopinatâ, re-  
centique lætitiâ superfluens: Consistere in sede suâ  
haud potest, sed erumpit foràs, eoque fertur, ac ra-  
pitur



pitur sui impotens, unde affectus, quo impellitur, initiū sumpsit. Eas quidē vices habet mortaliū conditio, ut ex adversis secunda, ex secundis adversa noscantur. Quandoquidem & dulciorem reddit securitatem, periculorum recordatio, & felicitatis acuit sensum, dolorum antè perceptorum memoria. Tantū tamen aberit, ut longum præteritorum malorum hac vice texam ordinem, & exaggeratā oratione, movendis affectibus, repetam, ac percēseam, quæ in fortunis suis quisque, ac bonis damna, detrimenta, clades perpessi hætenus sumus. Quin, ea potiùs complecti oratione hac, certum est, quæ sunt hujus propria lætitiæ. Quâ *TIBI, SERENISSIME ELECTOR BRANDENBURGICE, DOMINE CLEMENTISSIME*, Pace hæc, & quiete redditâ Patriæ, nobil'ius aut nihil contingere potuit ad gloriam, aut certius ad salutem. Quanta enim moderationi *Tuæ*, ac æquitati accrescet laus, quòd non durissimo quodam necessitatis telo victus, non inopiâ aliquâ rerum compulsus, meditatus es Pacem, armorumque ac cædium odio, ingenium omne eò contulisti, ut quieti reducendæ sana invenirentur consilia? Exercitum si iustramus *Tuum*, si Duces, Præfectosque spectamus, non collectitius ille, non infirmus, inexercitatusque est; nec hi de plebe sunt, aut imperiti. Licet enim numero non frequente adeò; fortissimo tamen ac veterano milite stipatus incedis: nec iis non bellicam rem commissam credidisti, quibus, vel in scientiâ hac nobilissimâ, vel prudenti administratione, neque consilia deesse unquam poterunt, nec fortitudinis exercitia. Jactent Romani veteres *Scipiones* suos, jactent *Fabritios, Lucullosque*, ac alios: præferant *Miltiadem*,

*Thrasibulum, Themistoclem, Alcibiademq;* Athenæ:  
glorientur de *Agefilao* Lacedæmonii: digito *Epa-*  
*minondam* Thebæ monstrent: non minùs *TU,*  
*SPARRIOS TUOS, DÖRFFLINGIOSQVE,* cum  
aliis quamplurimis, ex illustrissimo non solum ge-  
nere, Principibusque, ac Principatui natis; sed vir-  
tutis etiam laude eminentissimis, producere potes  
in medium. Jam de *TE IP SO* quid dicam, *FOR-*  
*TISSIME PRINCIPUM?* Qui ut omnis generis  
rerum scientiâ instructus uberrimè es, ita pruden-  
tiâ militari etiam, & fortitudine largiter cœleste *TE*  
*Numen* imbuit, ut & arma felicissimè tractes, vi-  
ctrici dextrâ, & egregiis simul consiliis polleas ex-  
superantissimè. Quantum etenim genere alios,  
dominioque, ac potentiâ antecedis, tantum forti-  
tudine quoque ac sapientiâ supra plerosque emines.  
Est hæc sideribus natura, ut parva, & exilia valido-  
rum exortus obscuret; similiter radiante *Majesta-*  
*tis Tuæ* lumine, illustrium aliàs belli Ducum gloria  
innumbratur. Potuissent hæc sanè omnia conti-  
nuando ulteriùs, alendoque bello addere stimu-  
lum, ac Heroicam illam, lateque patentem apud  
*TE* virtutem excitare subinde, & inflammare:  
Sed eò magis prædicandum animi Tui moderamè  
est, quòd, innutritus bellicis laudibus, Pacem amas,  
atque timenda non quidem bella, nec provocanda  
temerè tamen; sed restinguenda pro virili, commō-  
stras. Tantam *Iustitia* meretur laudem, ut ne vel  
*Jovem* ipsum sine eâ imperare huic universo posse  
affirmârint veteres, quæq; Regum, Principumque  
magnorum mortalitatem divinæ naturæ arctissimâ  
colligatione devinciat. Ast demere sibi in bello vi-  
res, & robur ac fortitudinem clementiæ laudibus  
temperare, tantò majus ac excellentius est, quantò  
divi-

divinius, nocere nolle, cum possis, & ad supremi  
Numinis rationem propius accedit, quod nullâ aliâ  
magis re ad cultum, & reverentiam Majestatis suæ  
obstringit orbem, quàm ipsum quod optimum, ac  
indulgentissimum est, nec omnia pro magnitudi-  
ne, atque potentiâ suâ agit. Fulgebit hic titulus  
igitur, vel inter ipsos gloriæ Tuæ apices, CLEMEN-  
TISSIME DOMINE, Tibique non tralatitiam lau-  
dem toto Christiano orbe contrahet, quòd victo-  
riis quos antea maximis in meliorem asseruisti  
spem, jam redditâ pace ac stabilitâ, securitati, ac fe-  
licitati suæ reddisti, non tam armorum fulmine  
timendus *VILHELMUS*, quàm oleâ pacis ve-  
nerabilis *FRIDERICUS*. Scilicet latere haud po-  
terat, *PROVIDENTISSIME PRINCEPS*, perspi-  
cacissimam prudentiam tuam ingens malorum  
moles, atque caterva, quæ, si diutius Christianos ex-  
ercuisset Reges ac Principes, manente discordiâ, u-  
niverso terrarum orbi, sed Christiano cum primis,  
fuiſſet metuenda. Quid enim aliud, si paullo a-  
cutiori mentis acie rerum inspicimus ordinem, im-  
pendebat Germaniæ nostræ, quàm ultimum illud  
Fatum, extremaque, ac exitialis ruina? Satis reli-  
giosè ratiocinabatur secum Pietas Tua, *DOMINE*,  
quàm infeliciter eximio Christianorum titulo tri-  
umphent illi, qui in arma ruere præcipites, ferrum  
infestum gerere, sanguinem fundere, strages im-  
mensas edere, consilia, actus, spiritumque, ac vi-  
tam denique omnem furibundæ litare, ac truci cõ-  
stituerent Bellonæ. Maturè satis Tibi ob oculos  
posuisti, hos infensos sibi populos, qui non de  
gentium profanarum fæce, barbaro ritu cædem  
cæde, & sanguinem sanguine expiantium; sed Chri-  
sti Do-

D

sti Do-

sti Domini nostri assertos manu, novâ lege obligatos, novis indutos viribus, ne quid turbent invicem, ne quid machinentur, sed quietè, sed tranquillè vitam agant innoxij. Hanc propter rem absurdum fore judicâsti, belligerare perpetuò, quos una domus habet Ecclesia, qui ejusdem membra corporis, communi glorianur capite, Christo, communem in cœlis Patrem habent, communi vegetantur Spiritu, iisdem initiati mysterijs sunt, eodem redempti sanguinæ, eodem renati fonte, iisdem aluntur Sacramentis, eidem militant imperatori, communem habent hostem Diabolum, ad eandem omnes vocati sunt hæreditatem. Itaque non Tuum tantummodò bonum, sed commune etiam, ac publicum emolumentum respexisti. Nimirum haud frustra *Augustus Cesar* assererat: *Pietate, & Justitiâ Principes Deos fieri.* Et inter hospes *Amphitryonis filium* retulerunt Veteres, non quia *Thebis* suis tantum, sed universo Orbi salutaris exstiterat. Quid est *Justitia*, quàm quod commune est, atque ad universos pertinet bonum? Quid *Pietas*, quàm quæ de omnibus, summi illius ac pientissimi Numinis instar, meretur benè? Nec unquam ita descisces à TE, PISSIME ELECTOR, ut minus alijs, quàm Marchicis Tuis, reliquisque potestati Tuæ subjectis (sed illis maximè tamen) justus, piusque esse cupias. Atque ignoscetis, INVICTISSIME ROMANORUM IMPERATOR, POTENTISSIMIQUE SUECIÆ, AC POLONÆ REGES, quòd de Vestris, ad stabiliendam hanc Pacis tranquillitatem, curiosis sollicitudinibus, nec dixerim adhuc quicquam, & affectum pene omnem in PATRIÆ MEÆ PATREM effuderim.

derim. Impetuosissima, fateor, res magnum  
gaudium est, præcipuè quòd diuturnam post ægri-  
tudinem, atque mœstítiam incumbit. Neque  
enim in unum hominẽ simul, & vehemens motus  
animi, & diligens officij observantia convenit.  
Non ignoro quidem, *AUGUSTISSIMI DOMI-  
NI*, Sacratissimas etiam Majestates Vestras ad ex-  
struendum hoc Pacis, ut ita dicam, templum inte-  
meratas, studiosasque admovisse manus, & Ve-  
stram exinde gloriam tam illustrem, tamque splen-  
didissimam mortalibus omnibus redditã, ut nec se-  
nectus ulla temporis, nec injuria, caliginem Vestris  
laudibus, noctemque afferre potuerit. Nec tamẽ  
dubito, quin *BRANDENBURGICI ELECTO-  
RIS* operam tantò magis eminuisse præ cæteris, lar-  
gituri sitis, quantò laudabilius quidem, primum  
jecisse lapidem, ac fundamentum posuisse ædifican-  
dæ domui, quam egregij quid superstruxisse. Ve-  
rùm revertor ad *TE, SERENISSIME DOMINE*,  
ac veneratus supplex *Sceptri Tui Electoralis Maje-  
statem*, Tibi, quàm demississimè possum, *P A-  
TRIÆ* nomine gratias ago, quòd hujus etiam salu-  
tem, summam apud *TE* legem esse voluisti, & illud  
attendisti potissimum, quod ad reficiendam eam,  
& servandam ab ultimo præcipitio, facere pote-  
rat. Namque eò redactæ res nostræ erant, ut  
prope id deventum nobis esset, quod apud Poëtam  
*Aeneas* lamentabundus exclamat:

*Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens  
Gloria Teucrorum.*

Equidem si unquam de reconciliandis animis, &  
velut ex diuturno exilio, revocandã Pace agitare  
oportuit; nunc quidem præprimis capessere hu-

jusmodi consilia opus fuit. Licet enim nondum  
prociderimus penitus, vix insistimus tamen super  
ruinas Patriæ, atque cadavera, ægrè ducentes spi-  
ritum, & brevi iisdem illapsuri, nisi porrexisset  
manum Deus, aut quædam quasi respiratio à *TUA*  
*SERENITATE* nobis concessa fuisset. Nam si  
diutiùs fervore permissemus & viribus partes,  
quam Patriam, quæso, quam Rempublicam habu-  
issemus, infelicissimi mortalium? Quis cætera, quæ  
chara amataque habemus, super futura existimare  
posset? Accedebat, quòd Barbarorum etiam ad-  
ventus, imò præsentia fines infestare nostros vide-  
batur. Conspiciebamus truculentorum ex unâ  
parte *Moscovitarum* agmina, nudatos ex alterâ san-  
guinariorû *Turcarû* acinaces horrebamus. Et quid  
supererat aliud, ut toti Sanctissimo Imperio, sic Mar-  
chiæ quoque nostræ, ac Borussia, quam exitialis e-  
versio, & tollens stirpitis omnia excidium? Brevi-  
ter dicam, conclamatum erat propemodùm, & ex-  
sequias jam tum salutis nostræ paraverant ire, qui de  
felicissimâ nobis securitate, inter turbas & discrimi-  
na gratulantes, canonem regulasque agendorum  
præscribebant, ac vanis interim solatijs interneci-  
oni tradere nos, morti aliàs proximos, strenuè co-  
gitabant. Non aliter, quàm si ad supplicia con-  
demnatus immerita aliquis, persuadendus fuisset,

*Cannabe cinctus*

*Et capite abraso, duro velante cucullo,*  
*Atq; fenestrato Soles captante cothurno,*  
in crucem agi sese, vel capite truncari, & elisis cru-  
ribus in rotam imponi pateretur: quòd eam vim  
obtineat ejusmodi habitus, ut illo indutorum ocu-  
los

los fluviales corvi non effodiant, nec carnes comedant aquilini pulli. *TU, SERENISSIME ELECTOR*, periculis nos hisce formidabilibus, illis ipsis incubantibus malis eripuisti. Tu discrimina universa, angustias omnes, ac calamitates ab oris depulisti nostris, reductâque quiete & securitate, ex dejectâ alacrem, fortunatamque ex miserâ patriam; ac cives verò ex calamitosis, & desperatis propemodum, plenos fiducia, & spei ingentis, imò beatos, felicesque reddidisti. Adeò, ut illud etiam eximium Tibi acclamari jure conveniat, quod prætervehenti Puteolanum sinum *Augusto Casari* vectores, & nautæ de Alexandrinâ navi, quæ vix dum appulerat, exquisitissimas inter laudes, & fausta omina admodulabantur: *Per illum se vivere: per illum navigare: Libertate, atque fortunis per illum frui.* Ad hæc autem omnia agenda rectè, conficiendaque, quantâ Principis virtute, quantâ industriâ, & indefesso studio, quantâ sapientiâ etiam, ac perspicacissimâ prudentiâ opus est? Cum quieta, pacataque omnia sunt, & ut Poëta ait, sudum undique cœlum ridet, in facili est, succedere ad clavum, cursuque temperare, ac tenere portum; at verò cum magnum mare surgit, æstuatque, cum latè omnia inhorruerunt tenebris, & multa ubique mortis naufragiique obversatur imago, tum arduum est, & perdifficile, laborantem valdè, quassatamque miserè navem servare ex hyeme, & impetuofissimâ tempestate. Confugiunt ergò in sinum Tuum, *CLEMENTISSIME PRINCIPUM*, concussantea nunc restituti cives, ac, impotenti gaudio incitati, per mediam suspensorum armorum quietem festinanterumpere, & pacificam munificentissimam-

10209  
E que

que Principis sui dexteram osculari religiosè, ac ve-  
nerari. Pullam suam lugubremq; vestem exuta,  
MARCHIA, lacrimas præ lætitiâ fundens, vibices  
rogata monstrat, ac plagas, quas, à communi for-  
tunæ pristinae sævitiâ incussas sibi, clementiâ obligâ-  
sti pariter Tuâ atque sanâsti. Sequitur hanc, cum  
reliquis Tuis Filiabus lectissimis, BORUSSIA, quæ  
itidem præsentissimo hœc Pacis cataplasmate, tenui  
obductas cute cicatrices sibi gratulatur. Assur-  
gunt PIETATI TUÆ, quàm possunt, devotissi-  
mè, qui, velut majore quodam Numinis afflatu per-  
culsi, cæteris posthabitis omnibus, ad divina-  
rum rerum intelligentiam cogitationes suas o-  
mnes, atque omnia studia conferunt, & arcana  
sanctissimæ disciplinæ effata interpretantur. Hi,  
inquâ, debita TIBI exsolvunt vota, pro incolumi-  
tate suâ, & religionis, quæ inter perpetuas etiam, &  
concatenatas ruinas, firmo, TE defensore, talo cõ-  
stitit. Quantum enim, ELECTOR, nativis æ-  
terna, immortalia caducis, divina humanis antecel-  
lere, cognitum probè habes; tantùm cæteris quoq;  
omnibus rebus religionem anteponendam esse,  
semper judicâsti. Et quamvis ab eas non nihil Ipse  
à plerisque subditorum Tuorum in sanctissimo fi-  
dei exercitio: non tamen tollis propterea credendi  
libertatem, multo minùs ad amplectendam fidem  
Tuos per vim adigendos præsumis. Dabis, ut  
spero, curiositati meæ veniam, PISSIME PRIN-  
CIPUM, si intima animi Tui rimari videar: nec  
ad prophanam audaciam interpretabere, quod sen-  
sa quoque Tua ferre foràs, & evulgare sustineam.  
Optimè enim, ac laudabiliter TIBI persuasisse vi-  
deris, *miram rem esse fidem, quæ suaderi quidem*  
*possit,*



possit, cogi autem, ac impelli minimè patiatur: nec  
cuiquam imponendam esse necessitatem, vel cre-  
dendi, quod nolit, vel non credendi, quod velit.  
Cum nihil tam voluntarium sit, quàm religio, in  
quâ si animo utaris averso, jam sublata, jam nulla  
est. *Hipponensis* proinde *Antistes* mentium Re-  
gem DEUM esse affirmat, cuius regni ne particu-  
lam optare sibi sine scelere homo potest, tantum ab-  
est, ut sibi tribuere debeat. Quod probè *Tecum*,  
*SERENISSIME ELECTOR*, sapientissimus olim  
*Theodoricus* Rex intellexit, qui non imperari religi-  
onem posse asseruit, hanc ob causam, quòd nemo  
cogatur, ut credat invitus. Maçte igitur, *RELI-  
GIOSISSIME PRINCEPS*, hòc animo, maçte  
hac gloriâ, quâ laudatissima, prægloriosissimorû  
Majorum Tuorum vestigia premis, quos licet etiam  
religionis disparitas aliquo modo disjunxerat à Sub-  
ditis suis; pietas tamen ac amor indissolubili nexu  
perpetuò habuit conjunctos. Non infitari qui-  
dem possumus, quòd durantibus his belli calami-  
tatibus, magnam quoque partem ve! exulârit reli-  
gio, vel prostrata ferè ac prophanata jacuerit.  
Neque enim religionem dixeris, ubi disciplina est  
languida, ubi fœdissimæ libidines, omnis generis  
stupra, raptus, latrocinia, cædes, & quicquid pessi-  
mo cuique, & corruptissimo, aut sua ipsius cupidi-  
tas subjicit, aut aliena persuadet, vel approbantur  
palàm, vel permittuntur: ubi non est pudor, nec  
cura juris, sanctitas, pietas, fides. His tamen non  
Tuâ culpâ miseris succubuimus, qui bellicis ut plu-  
rimùm expeditionibus intentus, in exterarum  
gentium regionibus (yah! quot molestiis, quot  
sudoribus ac periculis!) degisti. Sed vera harum

fuit caussa, temporum injuria, & peccatorum no-  
strorum magnitudo, quibus irritatum continuo  
justissimum Cœlum, per eosdem poenas à nobis  
sumpsit tortores, quibus sanctissimam Ejus Maje-  
statem læseramus. Ergò cum jam redire nobis-  
cum in gratiam iratum satagat Numen, ac evane-  
scere incipiant nubes, quæ paullo ante tot tristia cir-  
cum fulmina ejaculabantur, tranquilliorque fulge-  
re serenitas; eò ardentiori pietate venerabimur,  
nomen ejus, quò majori copiâ cœlestis doctrinæ u-  
bertate exsaturabimur, ac preces litabimus clemen-  
tissimo DEO, ut TE nobis, benignissimè hæcenus  
concessum, diutissimè conservet. Aut qui possi-  
mus aliter, quam pro Eo indefinenter votis, operi-  
busque excubare, quo sine nostra omnis casura  
esset felicitas? Porro fori quod attinet dignitatem,  
& vigorem justitiæ: redibit ille nunc, & sedem in-  
curiis, judiciorumque palatiis inveniet iterum. E-  
nimverò, si præteritorum temporum memoriam,  
recolimus, si Juris in bello repetimus usum, nihil  
frequentius sanè, aut luculentius sensibus nostris  
objicitur, quàm, quòd nec curiis sua sanctitas, nec ju-  
stitiæ suus adsit cultus, postquam in juris locum  
succesit vis, atque

*prosperum ac felix scelus*

*Virtus vocatur, fontibus parent boni:*

*Jus est in armis, opprimit leges timor.*

Silebant (heu!) & apud nos inter arma leges, aut  
si quid loquebantur salutare, non poterant exaudiri  
ob armorum strepitum. Adeò publicos agebat  
triumphos de subjugatâ, atque exactâ omninò vir-  
tute, scelerum impunitas, quæ dempto fine per cun-  
ctas domos ière: nullumque exemplo caruit ne-  
fas,

fas,

fas. Hac autem amœnissimâ quietis dulcedine, hœc imperato à *TE, DOMINE*, armorum silentio, recipiunt animam suam, virtutum studia, vocemq; ac pristinam formam induunt: nec gratiâ se inflecti, nec perfringi potentiâ, nec adulterari pecuniâ patientur imposterum. Testabimur nunc *TIBI, PATER PATRIÆ*, Parentibusq; pietatem nostrâ, cognatis dilectionem, pacem habebimus cum hominibus, cum vitijs bellum geremus, amicis fidem, æquitatem omnibus præstabimus. O felicissimum vitæ statum, in quem *OPTIMI PRINCIPIS* clementia nos collocat! Cujus felicitati & hoc accedit, quod è pulvere rursus suo, è squalore, & plurimâ plurimarum difficultatum caligine castissimas prope reperi Musas cernimus, & recenti hœc Pacis jubare frui. Nam quis, quæso, hæcenus Musis, aut literis fuit locus, in tanto militum fremitu, tanto turbarû clangore, tanto cornucrepitu, tam surdo, tâque insano strepitu tympanorum, tanto armorum fragore, atque tumultu? Profectò, si veritatis habenda est ratio, enectæ tantum non inter has turbas terrerrimæ; animam agere videbantur. Nunc, ceu renatæ ac restitutę in vitam novo efflorescunt, vigore, novo incremento augentur. Adeste jam, quicumque eruditionis, ac doctrinæ superbitis titulo, Musarum filij: capescite materiam industrie, ac studiorum vestrorum: surgite certatim, & accingimini in hœc, ut gloriam *SERENISSIMI ELECTORIS NOSTRI* ab invidis asseratis oblivionibus. Ut enim Pacis semper fuistis alumni, ut non nisi lætis efflorescitis rebus; ita solennes agite ferias magis, quàm triumphos sanguinolentos: extollite *PACIFICI FRIDERICI NOSTRI* præconia, festivis

F

festivis

festivis potius Odis & Panegyricis, quam lamenta-  
mini bellorum mala. : commendate OPTIMI-  
MAXIMI PRINCIPIS nomen, non horribili po-  
steris tubâ, sed amabili lyrâ; nihil diffidentes, ne hæc,  
quàm ea, vel non æquè procul exaudiatur, vel mi-  
nùs tinniat diu. Neque enim verendum, SERE-  
NISSIME ELECTOR, ne Tua de redditâ tranquil-  
litate hæc gloria minus sit olim lucis habitura, quàm  
aliorum in rebus bellicis fortitudo. Quanquam  
quid bellicam virtutem loquor? Nonne & hæc in  
TE clarâ unanimique omnium voce celebratur?  
Nonne Herculeum Tuum robur, tacentibus etiam  
hominibus, loqvuntur creberrimæ victoriæ, ac  
trophæa quamplurima, quæ ab eò peperisti hoste,  
cujus tergum, sub victorioso Imperatore, vix alii  
videre militi contigit? Quoties, propriæ quietis  
immemor, privatæ negligens oblectationis, lon-  
ginquarum arduarumque maximè, ac inexplicabi-  
li ferè periculo obstarum undique viarum labores  
suscepisti? Quoties dubiam Ipse belli aleam adiens  
non dies modò laboris plenos; sed noctes etiam  
somnia vacuas exegisti? Quoties apertissimis TE pe-  
riculis, mixtus fortiter militi, commisisti, ELE-  
CTOR? Non commemorandi hoc loco labores  
sunt, non cætera molestiarum exponenda, quibus  
& semper aliàs, & in bello cum primis, defungi ma-  
gnæ, & DEO proximæ mentes tenentur. Hæce-  
nim ingenti TU animo vel contemnis ultrò, vel pu-  
blico donas libenter, cujus potissimum causâ TE  
natum ostendis. At negotiorum difficultates, qui-  
bus TE distineri hæctenus oportuit, & deliberati-  
ones gravissimas, quæ instituendæ fuerunt, quibus  
satis verbis explicabo? Non uno saltem hoste vexa-  
tus,

scribitur

tus,

tus, non unâ impetitus vi, non unis infidiis tantum  
petitus fuisti: plurimis victricia opposuisti arma,  
plurimis uno impetu restitisti. Mox qui amicus  
erat, hostis reddebatur, qui hostilia minabatur tela,  
amici non multum post nomine superbiebat. Mox  
de dignitate Tuâ, aut Patriæ libertate vindicandâ,  
mox de Vicinorum Concordiâ stabiliendâ, demùm  
de componendis illis turbis bellisque, quibus peri-  
eramus tot annos, inauspicatissimis, deliberandum  
erat. Hos TU, DOMINE, omnes fortunæ lusus  
ac onera constanti corroboratâque prudentiâ tu-  
listi juxta & superâsti, atque hâc ipso, quod armatū  
gerebas pectus, Reges egregiè, Principesque docui-  
sti, quàm nulla animosior sit fortitudo, eâ, quæ pro  
civium emolumento pugnet. Hinc immortale  
nomen Tuum ad extremas usque mundi plagas  
perrumpet: Hinc nullus tam inaccessus, tamque  
ab omni hominum consortio remotus in terris lo-  
cus est, quò non illius fama pervadet. Et cujus non,  
ex diffitissimis Europæ regionibus, Monarchæ,  
Principisque splendidissimas Legationes hospites  
Tua jamdudum habuit Aula? Quin ipsas quoque  
*Barbaras Gentes* Tui admovit veneratio, non  
quasi earum accederes immanitati, CLEMEN-  
TISSIME PRINCEPS; sed ut ex fortitudinis Tuæ,  
ac mansuetudinis contemplatione mansuescerent,  
ipsæ veluti, ferociamque dediscerent. Vidimus  
fanè haud semel provolutos ad genua Tua *Magni  
Moscovitarum Imperatoris Legatos*: nec sine ad-  
miratione vidimus, manus Tuas *Tartarorum Cha-  
mum*, per Nuncios suos, perquàm humaniter oscu-  
lantem. Quid hoc est aliud, quæso, quàm quod  
apud Senecam *Megara* dicit:

F 2

Virtu-

*Virtutis est, domare, quæ cuncti parent?*  
Magna hæc, D O M I N E , magna verè , atque  
inaudita est gloria , quæ omnium iudicio , T E  
supra Reges ac Principes plures collocat ; sed  
illustrior longè futura ea est , quam ex partâ civi-  
bus Tuis Pace consequeris. Quantum enim,  
Pax una triumphis innumeris potior, quantum cõ-  
cordia discordiam, securitas periculum antecedit,  
quantum damno incrementum , excisione restitu-  
tio præstantior est ; tantum etiam pacifici studii i-  
stius gloria prominebit longè super laudatissimas  
victorias Tuas , & celebrationem illarum obmute-  
scere coget. Et si donemus maximè, bellicam lau-  
dem illustriorem esse quodammodò ; optabilior ta-  
men jucundiorque pacis est gloria. Fingamus ef-  
se, ut gubernatoris artem sæva magis tempestas cõ-  
mendet ; sed ecquis tam demens ac stolidus foret ,  
qui non præoptet navigatione prosperâ uti ? Esto, il-  
lustret Medici industriam magnitudo, ac difficultas  
morbi ; at non tanti ea propter est, graviter letaliter-  
que decumbere. Multa quidem, DOMINE, exi-  
miaque decora, perpetuâ successione ad T E trans-  
misit avita Majorum Tuorum gloria : plura , nec  
minùs insignia, jamdudum virtute Tuâ , ac studio  
peperisti *TIBI*, quæ maximum omnia T E apud  
Posterios quondam , si qui futuri sunt, facient. Quis  
enim non cum voluptate Historiarum monumen-  
tis immorabitur, cùm inibi omnibus numeris ab-  
solutam Justitiam Tuam, pietatem, prudentiamq̃ ,  
ac fortitudinem commendatam inveniet ; cùm  
illam totius corporis Tui plusquàm Heroicam spe-  
ciem, procul etiam, longeque ac latè ostendantem  
Principem, laudatam observabit : cùm regium illū  
oris habitum, qualem & hostes formidare , & vereri  
impro-

improbi possint, boni verò non possint non amare,  
descriptum leget? Sed illud maximè in admirationem  
rapiet Posteritatem, si immortalitati annalium hæc cō-  
secrata etiam leget: *Anno supra sesquimillesimum cente-  
simo & sexagesimo, Nono Calendrum Maji, SERENIS-  
SIMUS BRANDENBURGENSIUM ELECTOR,  
FRIDERICUS GVILIELMUS, Pius, Fortis, Pacifi-  
cus, exorsam improvisò civilium, in Republicâ Christia-  
nâ, bellorum telam pertexere amplius noluit; sed stamen  
ejus aut subtegmen, Pace in Olivâ, Borussorum Cœnobio  
factâ, non sine immortalis Illustrissimi nominis Sui gloriâ,  
abrupit. Illud, illud, SERENISSIME ELECTOR, titu-  
lis ego omnibus speciosius reor esse, quando non tra-  
bibus aut saxis; sed monumentis æternæ laudis inci-  
ditur, Pacis TE Restitutorem esse strenuum, & liber-  
tatis universæ Assertorem insignem. Sed mentionem li-  
bertatis dum facio, subit memoriam percellitq; quan-  
tum malorū superioribus annis CELSISSIMO CUR-  
LANDIÆ DUCI imposuerit contumacissimus belli  
furor. Quid gravius, indigniusq; captivitate, magno &  
generoso animo accidere potest? In eam incidit OPTI-  
MUS ATQVE PISSIMUS PRINCEPS, nescio qua  
truculentia fati, cum ipse non tantum; sed unâ & SERE-  
NISSIMA CONJUX, cum septem liberis, quorum no-  
visimum in ipso ictu feræ fortunæ enixa erat, longe du-  
cere tur à Suis extra Imperii patrui fines, quod alieni occu-  
paverant, atq; jam usurpabant. O dirum fulmen! O fa-  
tū atrox! Quod in privatæ sortis personâ movere mi-  
sericordiam cum valeat, quid non in tanti PRINCIPIS  
fecerit? Nec quenquam ab omni humanitate tam ego  
remotum putaverim, qui recordando saltim, ne dum  
commemorando ac recensendo, sibi à lacrimis tēpe-  
ret. Sed quo pro labor dementiæ? Ergone hodiernæ  
gratulationis lætitiæ commemoratione ac odio tristiū  
corrumpenda demum? Infringendane gaudii vis, pri-  
orum calamitatum recordatione? Haud equidem hæc  
mente conceperamus ante. Nec enim frui satis valebit*

G

præ:

præsentibus bonis lætitia, nisi his solis incumbat, & quicquid sui temporis non est, vel obliviscatur, vel certe seponat. Istud tamen minimè est diffimulandū, quod Tuo, SERENISSIME ELECTOR, auspicio consanguinitatis Tibi vinculo juncti PRINCIPES in libertatem asserti non tantum; sed, depulsis flammâ ferroq; ab aris eorum & focis, redditi Principatui suo, ac dignitati sint: Persuasissimū Tibi nunc habeas, DOMINE, advolaturam, quàm poterit, celerrimè in amplexus Tuos SERENISSIMAM SOROREM, fraternisq; Sororia admovens labella, libaturâ oscula huic ori, quod non dira ejaculatur fulmina; sed turbis discordiisq; finem indixit, & salutari Pacis promulgatione, Ipsam felicitati pristinae reddidit. Hærebit dubius CELSISSIMUS ADFINIS TUUS, an Patrem TE, an vindicem verò potentiaæ suæ ac fortunaæ nuncupet: cum refocillando liberaliter priorem, restituendo clementissimè posteriorem sis meritis titulum. Grates Tibi humillimas ut exsolvant *Curlandi, & Principum* eorum exoptata utilisq; præsentia, quâ lætantur rursus, jubet, & Tua clementia ac Pacis amor postulat, cui vitam alii, alij libertatem, securitatem omnes debent. Non inibo nunc rationem, DOMINE, ulteriorum Tuarum laudum, quas beneficiis Tibi Tuis comparasti, cum mediocritatis ingenii mei omnium maximus mihi ipse testis sim; hæc autem & aliud tempus, majusq; ingenium, ac victurorum annalium curam exigant. Omnia tamē illa, quæ infantili Eloquentiâ complexa modò Oratio est, tam præclara profectò, tamq; magna sunt, ut sperare ab homine majora dementia potius sit, quàm nimia curiositatis. Quippe vix tanta hæcenus, ne majora dicam, præstita ab ullo animadvertimus. Cæterum confidimus firmiter, daturum TE operam sedulò, ut, solidissimè firmata, perpetuò affulgeat Patriæ securitas illa tranquillitasq;, fideris instar splendidissimi, ac benignissimi. Neq; enim satis est, instituisse præclara: ut tuearis, ac serves etiam præclare instituta requiritur. *Et nulli unquam*



nuquam rei tam infestus tamq̄ inimicus est discordiarum  
Princeps, Diabolus, quàm Paci & quieti. Hinc, ut E-  
phesia Dianæ templum, viginti annis, à totâ Asiâ, tot  
Regum impendio, tot artificum ingeniiis confectum, Hero-  
stratus, obscurus homo, exurebat: ita magno persepe  
studio, laboribus multis, ac pluribus impendiis exstructa  
Pacis Basilica, à vilissimo Cacodemonis mancipio de-  
struitur funditus ac demolitur. Verùm quis tantum  
excidium metuat T E Architecto, PRINCIPUM O-  
PTIME, quē non vernilis adulatio, non arte expres-  
sa suffragia; sed moderatio, sed pietas, sed probitas at-  
que clementia fecerunt talem? Qui ut constans ipse  
ac Sapientissimus es, nec alios foederibus Tibi jungis;  
ita non nisi Tui simillimos in interiorē admittis cō-  
suetudinem; cordatos, dico, graves eruditione, vitâq̄;  
spectatos Viros, à quibus neque vendaris ipse, aut cir-  
cumducaris: nec qui auribus instillent quicquam, nisi  
quod pium, quod honestum sit, ac salutare Tuis. Atq̄;  
cur non faustissima quæque ominari de pacificatione  
hac debeamus? Pacificatores quod attinet, non Cy-  
clopicæ barbariei, levisque superstitionis illi Cultores  
audiunt; sed pii maximè & Christiani Principes, qui  
ardentissimè operi huic divinum implorârunt auxiliū.  
Jam tempus ipsum non nisi æternam Pacis hujus du-  
rationem præfagit. Intra Paschatos ac Pentecostes festa  
dicitur sancita, quo tempore quid aliud Discipulis suis  
attulit, quid aliud reliquit Servator Orbis, ac Sospita-  
tor Christus, quàm PACEM suam, eamque æter-  
nū mansuram? quid promisit aliud contra mundi  
machinas, & furores, quàm Sanctum illum, æternum-  
que, ac immortalem Paracletum? Loci verò opor-  
tunitas, dum ab OLIVA mutuata est nomen, nihil  
potendē videtur aliud, quàm OLEÆ, Paci sacrate,  
vigorem ubertatemque. Megaris stetitse diu in foro  
Oleastrum, Plinius auctor est, cui arma affixerant bel-  
latores strenui, quæ longa etas, cortice ambiente occul-  
ta verat: fuitq̄ fatalis arbor urbi, præmonitæ interitus

*G. X. I. C.* sui

*sui per oraculum, cum arma peperisset arbor, quod succi-  
 se accidit quoque, vocreis intus galeisque, repertis. Suspen-  
 derunt & in nostrâ OLIVA Heroës fortissimi arma,  
 tantum tamen abest, ut tam frivole de eâ judicemus,  
 quasi parturire illa, nostrum in exitium, vicissim gesti-  
 at. Verius, ut opinor, de Pace ac augurabimur, si illud  
 omnibus nostris adjiciamus, quod de Tyriorum O-  
 LEA Achilles Tatius memorat. Illi enim latè se diffun-  
 denti ignis adnatus est, magnamque circa ramos exsuscitavit  
 flammam, cujus è cinere letior etiam Olea ipsa evasit  
 atque ignis ita & planta, in amicitiam conspirando, docu-  
 mentum dederunt, Minervam non aspernari Vulca-  
 num. Hæc ipsa Pacis nostræ OLEA nonne pullu-  
 lans vix dum sæpenumero à bellorum flammis absum-  
 pta penitus fuit? Sed Tuâ, CLEMENTISSIME  
 DOMINE, operâ, flagrantibus bellorum adhuc in-  
 cendiis, frondosior nobis excrevit, flammamque i-  
 psam superemicat. Faxit OPTIMUS MA-  
 XIMUS DEUS, ut sine marcore ullo flaccido, si-  
 ne impedimento, tam firmiter agat radices, ut excidi fu-  
 turo tempore, nec Satanae, nec mundi perversissimi in-  
 vidiâ possit, sed vireat vigeatque sempiternum fructusque  
 ferat innumeros! TE autem, ELECTOR SERE-  
 NISSIME, pro hâc tanto beneficio, quo exhaustam fe-  
 rere Patriam beâsti, quàm diutissime servet, sospitetque cœ-  
 leste Numen, ut diu intersis hominum cœtibus, præcipue  
 verò sublapsas res nostras, prostratasque erigas non tan-  
 tum pietate Tuâ & justitiâ, sed stabilias etiam ac fir-  
 mes. Tandemque, cum temporum Tibi tyrannis cesserit,  
 functo mortalium statione longissimâ, seros, nec successo-  
 res Tibi alios sufficiat, quàm, quos dedisti jam, Sangui-  
 nem Tuum, quem æternum præstabit. Nos verò cun-  
 ctos ita gubernet, ac regat, ut idem sentiamus omnes,  
 idem loquamur, neve insint nobis dissidia, nec inanis  
 glorie cupidi, provocemus invicem, invideamusque, aut  
 mordeamus; sed concorditer agamus, mente eâdem  
 sententiâque compositi. Atque in oris sic nostris floreat securâ  
 PAX, vitæque tranquille otia, & turbata nunquam quies.*

D I X I.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

12. Apr. 1991		18. Feb. 1993
		21. Juli 1993
		18. Mai 1995
		13. Juli 1996
		6. Juli 1997
		08. Aug. 1997
		07. Juli 1998
		28. Feb. 2001

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0089238

16

Exquisit GmbH  
15211X/2004

